



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

1. Quid denunciatio & quotuplex? quae requisita ad denuntiationem Evangelicam? an quilibet Evangelicè denunciare potest? An aliquando de praecepto? an denunciatus, an denuncians objectione criminis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**



os erat. Huic accersito ad se Marcellus Romanus dixit: fortissimum te militem audio, quod antea ignorabam; quare mecum, quaso te, commorare: supra quem verborum honorem, equo insuper donavit Proditorem, & eam benevolentiam non illius tantum fidem, sed etiam popularium, qui ex illo pendebant, sibi obligavit. *Laurent. Bayer. Tit. Proditor.* Quæritur, an Marcellus, postquam vidit eo modo correctum Proditorem, eum adhuc Magistraturam denunciare debuisset? *Resol. quære num. 11.*

I.

**D**ENUNCIATIO est criminis alicuius apud Iudicem sine inscriptione legitima facta delatio, vel ad poenitentiam peragendam, vel ad poenam legitimam imponendam, vel ad utrumque *cap. 2. cap. super h. t.* Quadruplex est, *Evangelica, Iudicialis, Canonica, Regularis.*

Ad Evangelicam denuntiationem plura requiruntur. I. quod denunciandus

fit



fit Frater, id est, Christianus *Can: ad mensam 11. qu. 3.* Unde infideles denunciari non possunt, nisi peccent contra jus naturæ, aut leges in moralibus, quo casu Papa in eis jurisdictionem habet. *Innoc: in cap: quod super his. de voto. 2.* quod præcedat secreta monitio de crimine (ne inimicitia resultet ex eius omissione) nisi corripuens aut monens rationabiliter existimaret in bonum ipsius corripuendi magis cessurum, quod incipiat ab admonitione cum testibus, vel etiam à denunciatione: aut recta ratio ad vitandum damnum ipsi corripienti vel alteri, dictaret delinquentem denunciandum esse nullâ correptione præmissâ. ut benè *Suar: disput: 8. de charit. sect: 6. num: 17. 3.* Quod peccatum non sit omninò publicum, neq; etiam occultum, *Can: præcipuè in fin: & ibid: Gl: fin: 12 qu: 3.* sed quod possit probari *Can: si tantum. & Can: seq. 6. q. 2.* 4. Quod si non desistat, vel non se emendet, adhibeat testes, qui sciunt, & cum quibus potest eum convincere, & coram illis faciat secundam monitionem. 5. Quod si secundò monitus se non emendet, denunciaret Prælato. 6. Quod

Quod



Quod denunciatus probet delictum, se observasse formam in denunciando *cap. novit. & ibi. Panor. n. 2. & 3. de jud.* prima monitio probatur per monentem tantum. Secunda per monentem & unum testem *cap. in omni de testibus.* CÆTERUM quilibet denunciare potest Evangelicè, etiam mulieres, infames, criminosi modò non perseverent in crimine, quia non refert quis denunciaret, dummodò anima salvetur *cap. in omni de testibus,* imò ex opinione quorundam quilibet tenetur ad eam ex precepto, quia verba Evangelica sunt imperativi modi. *Panor. in cap. novit. n. 34.* Sed alii tenent esse consilii, præterquam in iis, ad quos ratione officii spectat, ut sunt Curati, Prælati, Patres familiars Mariti, Rectores provinciarum. *Can: duo ista. 23. §. 4. & ibi Gl. in ver. Episcopo. Joan. And: in cap. novit. post. num. 6. de jud.* **QUILIBET** quoque denunciari potest, perseverans in crimine, ne libera ei præbeatur facultas peccandi propter impunitatem *cap. quemadmodum de iurejur. §. fin. ver. scriptura.* Sed potest denunciatus denunciantem repellere objectione criminis, etiam si suam inju-



injuriam persequatur, quia non move-  
tur bono Zelo ad correctionem alterius,  
qui non est correctus. *Gl. fin: in cit: cap. No-  
vit: de jud.* quanquam in aliis non servatur  
ordo juris. *Panor: in cap. Novit: n. 44. in fin.  
& seq: & n. 55. & seq: ubi ponit differentias  
inter Evangelicam & judicialem privatam  
denunciationem de jud: EFFECTUS* ejus  
est, ut peccator pœniteat, & si correctio-  
nem contempserit, districtione Ecclesia-  
stica exerceatur: non ut beneficio, vel  
officio privetur: nisi retento ordine, be-  
neficio, vel rebus, pœnitere non possit.

2. Judicialis denunciatio à jure Civili  
introducenda est, quæ fit per ministros publi-  
cos (quos & stationarios ab officio vo-  
cant) ad hoc constitutos, ut delicta ad-  
missa denuncient Magistratibus, eorumq;  
auctores prodant, quatenus in eos inqui-  
situs fiat *L. singuli 14. C. de accus: ad publi-  
cam scilicet vindictam, ut distinguatur à  
privata denunciatione, quæ privatum  
commodum respicit. DIXI* publicos, quia  
ad hanc denunciationem publicam, pri-  
vatus non admittitur, cùm possit si velit,  
accusationem instituere. *L. fin. C. de accus:*

*can:*